



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De femina sortilega, quae sanctum Andream repudiauit, cap. 56.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

108 DE DIVERSIS VISIONIBVS

Hierusalem. APOLLONIVS: His vtiliter premissis, nunc
secundum ordinem subnectas visiones. CÆSARIVS:
Licet sancti Apostoli per visionem multis appareant,
& multa per eos miracula quotidie fiant, de paucis
tamen pauca tibi referam, sed quantum ad exemplum
sufficiantia.

CAPVT LVI.

*Visiones
de SS. A.
postolis,
& primo
de sancto
Andrea.*

Consuetudo est, maximè prouinciæ nostræ ma-
tronis, vt tali sorte specialem sibi Apostolum e-
ligant; in duodecim candelis duodecim Apo-
stolorum nomina, singula in singulis scribuntur, qua
à sacerdote benedictæ, altari simul imponuntur: ac-
cedens verò femina, cuius nomen per candelam extra-
hit, illi plus careris & honoris, & obsequij impendit.
In hunc modum cum quædam matrona sanctum An-
drea extraxisset, & non ei placuisset, reposita cande-
la alium habere voluit, sed iterum idem occurrit: quid
plura tandem traxit sibi placentem; cui cum multum
exhibuisset obsequij, per omnes dies vitæ, & ad extre-
ma perueniens esset moritura, non illum, sed beatum
Andream sibi assistere vidit; En, inquit, ego sum ille
despectus Andreas. Ex quo colligitur, quod nonnun-
quam sancti etiam vltro se ingerunt humanæ depo-
sitioni. Quantum beatus iste Apostolus se inuocanti-
bus succurrere valeat, sequens narratio declarat.

CAPVT LVII.

Erant duo iuuenes iuxta ecclesiam sancti Andree
habitantes, qui pro suis mercationibus remotas
prouincias petere solebant: tempore quodam,
cum profecturi essent in Norwegiam, frater Reine-
rus monachus noster, tunc Canonicus sancti Andree
in Colonia, sicut ipse mihi retulit, quinque solidos il-
lis dedit, petens vt ex eis compararent pellem vrsi al-
bam, quales regio illa gignit, ad substratorium coram
altari sancti Andree. Quod cum fecissent & reuerto-
rentur, tanta orta est in mari tempestas, vt omnes mite-
reret in desperationem. Hoc ideo factum reor, vt Do-
minus Apostoli sui virtutem ostenderet. Recordari
verò prædicti iuuenes pellem sancti Andree, contra
procel-